

PROB. 2^a PARS duabus rationibus quas exponit D. Thomas et quarum altera se tenet ex parte Dei, altera ex parte hominis.

« Est necessarium hujusmodi veritatem ad credendum hominibus proponi, ad Dei cognitionem *veriorem* habendam. Tunc enim solum verè Deum cognoscimus, quando ipsum esse credimus supra omne id quod de Deo cogitari ab homine possibile est, eò quòd naturalem hominis cognitionem divina substantia excedit. » Atqui « per hoc quòd homini de Deo proponuntur, quæ rationem excedunt, firmatur in homine opinio, quòd Deus sit aliquid supra id quod cogitari potest. »

« Alia etiam utilitas inde provenit, scilicet *præsumptionis* repressio, *quæ est mater erroris*. Sunt enim quidam tantum de ingenio suo præsumentes, ut totam naturam divinum nam se reputent suo intellectu posse metiri, æstimantes

« quæ sunt supra rationem, sed etiam ea quæ per rationem cognosci possunt, et hoc propter tria. Primo quidem, ut *citius* homo ad veritatis divinæ cognitionem perveniat. Scientia enim ad quam pertinet probare Deum esse, et alia hujusmodi de Deo, ultimo hominibus addiscenda proponitur, præsuppositis multis aliis scientiis; et sic non nisi post multum tempus vitæ suæ homo ad Dei cognitionem perveniret.

« Secundo, ut cognitio Dei sit *communior*. Multi enim in studio scientiæ proficere non possunt, vel propter hebetudinem ingenii, vel propter alias occupationes et necessitates temporalis vitæ, vel etiam propter torporem addiscendi; qui omnino Dei cognitione fraudarentur, nisi proponerentur eis divina per modum fidei.

« Tertio, propter *certitudinem*. Ratio enim humana in rebus divinis est multum deficiens: cujus signum est, quia philosophi de rebus divinis naturali investigatione perscrutantes, in multis erraverunt et sibi ipsi contraria senserunt.

« Ut ergo esset indubitata et certa cognitio apud homines de Deo, oportuit quòd divina eis per modum fidei traderentur, quasi a Deo dicta, qui mentiri non potest. » (2^a 2^æ, q. 2, a. 4, c).

Concinit Fenelonius: « Les hommes n'ont point assez de force pour suivre toute la raison. Aussi suis-je très persuadé que nul homme, sans la grâce, n'aurait pas, par ses seules forces naturelles, toute la constance, toute la règle, toute la modération, toute la défiance de lui-même qu'il faudrait pour la découverte des vérités même qui n'ont pas besoin de la lumière supérieure de la foi; en un mot, cette philosophie naturelle qui irait sans préjugé, sans impatience, sans orgueil, jusqu'au bout de la raison humaine, est un roman de philosophie. » (*Lettres sur la Métaphysique*, lettre 6^e).

« scilicet totum esse verum quòd eis videtur, et falsum quòd eis non videtur. Ut ergo ab hac præsumptione humanus intellectus liberatus, ad modestam inquisitionem veritatis perveniat, necessarium fuit homini proponi quædam divinitus quæ omnino intellectum ejus excederent. » (*Cont. Gent.* l. 1, c. 5).

ARTICULUS VIII

De auctoritatis humanæ criterio.

Dicendum est 1^o de illius objecto et auctoribus; 2^o de illius fundamento et utilitate; 3^o de illius vi quoad dogmata; 4^o de illius vi quoad facta historica.

§ I. — De testimonii humani objecto et auctoribus.

93. *De testimonii objecto.* Testimonium versari potest vel circa *dogmata*, vel circa *facta* seu *eventus*. Si prius, *doctrinale*, si posterius, *historicum* dicitur.

Testimonium doctrinale duplex est, prout a consensu *populorum*, vel a communi *doctorum* sensu excipitur.

Testimonium historicum amplectitur facta, quæ quidem multiplicis generis distinguuntur. Nam si attendatur ad eorum naturam, alia sunt *naturalia*, alia autem *supernaturalia*. Factum naturale illud est quod sit *juxta* leges constantes atque universales naturæ; factum supernaturale *derogationem* ad easdem leges præ se fert. — Porrò si considerentur circumstantiæ, utrumque potest esse 1^o *perspicuum* et *illustre*, vel *obscurum* et *difficile cognitum*; 2^o *publicum*, si vel multos testes habet, vel authenticâ ratione constare potest, nempe si ad *forum externum* coram iudice traducatur; *privatum*, si prædictis notis caret.

At factum naturale, si pensetur quoad suam *utilitatem*, erit *gravis* vel *levis* momenti; si quoad *præjudicia* vel *passiones* hominum, poterit eis *favere* vel *adversari*, vel esse *alienum*. — Quod si inspicatur *in seipso* seu in variis suis

notis, vel occurret ut *vero simile*, vel ut *improbabile*, prout in se aut ex adjunctis præ se fert aliquid quod ei fidem conciliat, vel contra difficilem reddit, ob speciem alicujus repugnantiae.

Sola quidem improbabilitas uou est ratio sufficiens cur factum *a priori* negetur, nec *sola* verisimilitudo cur statim admittatur. Multa quippe contingunt quæ nobis hactenus visa sunt omnino improbabilia, si modo circumstantiæ novæ accendant.

Plurima jam fiunt fieri quæ posse negabam.

Quamobrem natura facti cum *testis qualitate* comparanda erit, quâ vel infirmari poterit vel contra corroborari.

94. *De testibus.* Ad testes præsertim attendendum est, cum ab ipsis maximè pendeat vis testimonii, ac proinde factorum veritas. Ipsi autem multifariam distingui possunt; si enim spectetur ad *numerum*, vel *plures* sunt, vel *pauciores*, vel etiam non est nisi *unus* testis. Quod si plures sint, vel sunt in suâ narratione *concordes*, vel contra plus minusve *divisi*. — Si consideretur eorum *qualitas*, vel sunt *docti* aut saltem *graves*, vel *imperiti*, *mobiles*, et ideo aliquo modo *suspecti* aut saltem *dubii*. — Demum, habitâ ratione *habitudinis* eorum ad factum narratum, testes possunt esse *coevi*, vel *posteriores*, prout ipsorum tempore vel ante contigit factum quod referunt. Rursus, si *coevi* sint, vel sunt *oculati*, vel *auriti*, prout factum *ipsi* quocumque modo perceperunt, vel *acceperunt* ab aliis.

95. Porrò ut *certò* vel *prudenter* saltem præstetur assensus humano testimonio, singulæ cum factorum, tum testium qualitates erunt mature pensandæ, siquidem unicuique sua vis inest; v. g. majorem, cæteris paribus, fidem merentur testes oculati quàm auriti, coevi quàm posteriores; idemque dixeris de facto publico vel illustri, si comparetur ad factum privatum vel etiam obscurum.

§ II. — De fundamento et utilitate testimonii humani.

96. *Legitimitas* humani testimonii fundatur in duobus; nam 1° supponit homines cognoscere posse veritatem, et 2° natura

ferri ad eam, ut norunt, aliis dicendam. Porrò hæc duo constant; 1^{um} quidem jam declaratum est ubi de variis criteriis; 2^{um} autem, nimirum amorem veritatis mentibus hominum naturâ inditum esse facilè probari potest.

1° *A priori*; homines enim creari non potuerunt, nisi proni ad veritatem amandam atque dicendam; ipsa quippe proprium est intellectûs objectum, et ob illam quâ pollet claritatem, amorem non potest non injicere. — Præterea, cum homines ad societatem ineundam conditi sint, veritatem alii alius referant oportet; aliàs rueret fœdus omne, cum nulla inter eos superesset fiducia.

2° *A posteriori*; siquidem testatur experientia homines, ut *plurimum*, veraces esse, nec mentiri unquam, nisi vel passionibus, vel *speciali* motivo aut commodo moveantur. Quinimo, illi etiam homines quos *mendaces* vocant, sæpiùs veritati quàm falsitati loquendo indulgent (1).

Confirmatur, quia aliorum hominum dictis fidem præstamus, naturâ ipsâ impellente; nec quemquam suspectum habere solemus, nisi aut ab ipso decepti fuerimus, aut specialis ratio sit unde ab eo caveamus.

Quamobrem quoties *constabit* testem aliquem habuisse unde veritatem cognosceret, nec propriis commodis, vel cupidinibus inservire, ei tanquam veraci fides erit adhibenda.

97. — Quantum *fructum* ex humano testimonio capiamus (2), patet cum ex naturâ hominis, tum ex *copiâ*, *excellentiâ* veritatum quæ ex hominum consortio habemus. 1° Ea

(1) Appositè Reid : « Le sage auteur de la nature a placé en nous un « penchant *naturel* à dire la vérité. Ce principe agit puissamment même « chez les plus grands menteurs; car, pour une fois qu'ils mentent, ils « disent cent fois la vérité. Le vrai est toujours ce qui se présente d'abord « à l'esprit, c'est notre nature de le dire; mentir, au contraire, c'est « faire violence à notre nature, et même chez les hommes les plus dépravés, c'est un acte qui a besoin d'un motif; on dit vrai comme on mange « du pain, par simple appétit et sans aucun dessein particulier; on ment « comme on prend une médecine, pour un but particulier et qu'on ne « peut atteindre qu'à cette condition. » (*Rech. sur l'entend. humain*, c. vi, sect. 24).

(2) Cf. S. August., *De utilit. credendi*, c. 12; Balmès, *Le Protest. et le Catholic.*, t. I, c. 4, 5; Lacordaire, *Conf. de N.-D.*, 1835, 1^{re} conf.

enim est hominis natura ut ab homine *doceatur*; ea plerorumque hominum conditio, ut non a *propriâ* inquisitione, sed ab *educatione* ac *societate* potissimam idearum suarum partem accipiant.

98. *Confirmatur* consideratione societatis tum *domesticæ*, tum *civilis*, tum *catholicæ*, et ipsarum quoque *scientiarum*. Domestica vita in auctoritate parentum tota fundatur, puerique disciplinam omnem ex fide majoribus præstitâ hauriunt.

Item *societas civilis* nititur in auctoritate legum, principum legitimitate, proprietatis juribus, ac diversis rationibus propinquitatis, quæ omnia non nisi hominum testimonio nobis innotescunt (1).

Demum, tametsi catholica religio dogmata et præcepta morum diviniora præ se ferat quàm quæ ab hominibus excogitari potuerint, atque ex eo vel solo argumento *supernaturalis* demonstrari queat, nihilominus plurima et potentissima in illius gratiam argumenta sumuntur ex factis ab historiâ acceptis, nempe ex *prophetiis*, *miraculis*, et *martyrum testimonio*, quo nihil certius reperias.

Quod spectat ad scientias addiscendas, *primas* quoque partes auctoritas habet, donec discipuli, studiis jam exercitati, propriâ ratione veritatem inquirere ac perscrutari valeant. Hinc illud Aristotelis : *Oportet addiscentem credere*.

§ III. — De vi testimonii hominum doctrinalis.

Ex dictis, testimonium doctrinale, vel ex populorum, vel ex doctorum aut sapientium communi sensu hauritur.

99. *Assertio 1^a* : *Consensus populorum conferre potest certitudinem circa dogmata et veritates morales*.

(1) Clarè D. Thomas : « Sine fide humanâ societas servari non posset, quia oportet ut unus homo alteri credat in promissis, et in testimoniis, et in aliis hujusmodi quæ sunt necessaria homini ad convivendum. » *In Boet. de Trinit.*, q. 3, a. 1; et in *opusc. vi* (*Edit. Rom.*) : « Quomodo aliquis vivere posset, nisi crederet alicui? quomodo etiam crederet quod talis esset pater suus? »

Historicè constat populos omnes convenire in admittendis veritatibus nonnullis gravioris momenti : v. g., esse supremum Numen, quod creatarum rerum, imprimis verò humanarum curam gerat, cuique certus cultus debeatur; vigere reale discrimen inter bonum et malum; hominem animâ spirituali, liberâ, immortalî gaudere.

Porrò valet ista populorum consensio, si, ex unâ parte, *constans* sit et *moraliter universalis*, et, ex alterâ parte, dogma respiciat *gravis* momenti, *passionibus adversum*, aut saltem *alienum*, nec *difficile* cognitu.

I. — *Prob. directè*. — Etenim supra ostensum fuit singulos homines veritatem cognoscere posse, eamque, si nullâ passione moveantur, aliis etiam tradere. Atqui, si hoc verum est de *singulis*, a fortiori de *universis*.

Confirmatur quia, ut monet D. Thomas, « falsa opinio in-
« firmitas quædam intellectûs est, sicut et falsum iudicium
« de sensibili proprio ex infirmitate sensûs accidit. *Defectus*
« autem per accidens sunt, quia præter naturæ intentionem;
« quod autem est per accidens, non potest esse semper et de
« omnibus; sicut iudicium de saporibus quod ab omni gustu
« datur, non potest esse falsum; ita iudicium quod ab omni-
« bus de veritate datur, non potest esse erroneum. » (*Cont. Gent.*, II, xxxiv).

II. — *Indirectè*. — Quòd si gentium consensio erronea dicatur, error oritur vel ab *educatione*, vel a *præjudiciis*, vel a *cupiditatibus*, vel a *difficultate* veritatis; nulla enim alia potest assignari causa erroris. Sed nullum ex his dici potest.

Non duo priora; quia educatio et præjudicia diversa sunt pro diversis populis ætatibusque; consensio verò de quâ nunc, eadem est apud omnes populos locorum ac temporum omnium. — *Nec duo posteriora*; quia, ex hypothesi, dogma de quo populi consentiunt, vel adversum, vel saltem alienum est cupiditatibus, et supponitur facile cognitu.

Confirmatur, quia ipsi philosophi consensum populorum pro criterio veri habent. « *Potentissima* probatio est, ait Aris-
« toteles, si in id quod dicimus, omnes consentiant. » (Apud Grotium, *de jure belli*, l. I, n. 12). Tullius autem : « Consen-

« sio omnium gentium *lex naturæ* putanda est. » (*Tuscul.*, l. I, n. 13). Sic et Seneca (*Epist.* 117).

Dixi consensum moraliter universalem esse debere; hoc enim requiritur et sufficit ut auctoritatem generis humani præseferat, et ut ait Tullius, « *pro lege naturæ* » habeatur: una autem aut altera exceptio ab ejus vi nihil detrahit.

100. Attamen, in judiciis sensûs communis *generatim* spectanda est potius *substantia*, quàm *modus*; substantia quidem est sincera et eadem apud omnes populos; modus autem varius est, nec ab omni errore immunis. Cùm agitur de Deo, v. g., existentia supremi cujusdam Numinis, gubernatoris et remuneratoris, est substantia consensûs; diversa autem hujus Numinis attributa, unitas vel pluralitas, pertinent ad modum, et de iis non conveniunt populi.

101. Porrò quòd spectat ad *causam* istius consensûs, *traditionalistæ* illam repetunt ex *revelatione* primo homini a Deo factâ, cæterisque hominibus, societatis ope, traditâ. At plurimi derivant illam ex *recto sensu*, seu ex *sensu* hominum *communi*.

Atqui nihil vetat admittere traditionem *simul* et *rectum sensum*, ut *adæquatam* consensionis populorum causam; nam, ex unâ parte, probabile videtur ex primævâ revelatione certas promanavisse veritates, et in diversarum gentium notitiam devenisse; et, ex aliâ parte, satis rationis omnibus hominibus inest ut invenire queant veritates quasdam faciles et graves.

Explicatur natura sensûs communis.

102. Schola scotica vult sensum communem non esse nisi quemdam *naturæ instinctum*, quo impellimur ad veritates primitivas admittendas, non quia eas clarè percipimus, sed quia naturæ vis de iis dubitare haud sinit. Docet Balmès sensum communem esse criterium *speciale*, ab aliis distinctum, quod vocat *instinctum intellectualem*. (*Philos. fondam.*, t. 1, l. I, c. xv).

103. Sed ista *repudianda* sunt, utpote falsa et exitialia. Enimverò consensus hominum non cæco instinctu innititur, sed ipsâ intuitione veri; quippe veritates de quibus populi

concordant, vel immediatè sunt evidentes, vel brevem et facilem rationis discursum exigunt. — Præterea, cæcus ille instinctus intellectuali hominis naturæ derogat, favetque scepticismo.

104. Itaque sensus communis definiri debet: *ipsa ratio, quæ omnibus hominibus naturâ insita, eos impellit ut consentiant de veritatibus aut evidentibus, aut facili ratiocinio acquisitis, præsertim de iis quæ necessariæ sunt ad vitam physicam, intellectualem aut moralem.* — Hinc sequitur sensum communem criterium *peculiaris* generis non esse, sed referri debere ad criterium intellectûs et rationis.

105. **Assertio 2^a:** *Consensus sapientium, in re scientificâ, perutilis est ad inventionem veri.*

Sapientes dicuntur qui vel in scientiarum, vel in bonarum artium studio eminent. Porrò, ubi sapientes numero plures et doctrinâ clari de aliquo scientifico dogmate conveniunt, merentur fidem. Cùm enim plures sint necnon optimi ingenii, ac studio exultiores, ea perspicunt quæ hominum vulgus latent. — Nullo insuper motivo ducuntur ad mentendum, veritatem magis amant quàm cæteri homines, imò in eâ ut quærendâ, ita etiam aliis tradendâ delectantur. Hinc effatum natum est: *Peritis in arte credendum.*

Itaque homines rudes, naturâ duce, ad sapientium testimonium recurrunt, sive ut veritates ignotas discant, sive ut in iis confirmentur quarum notitiâ potiuntur, juxta illud D. Thomæ, « aliquis parvæ scientiæ magis certificatur de eo quod audit ab aliquo scientifico homine, quàm de eo quod sibi secundum rationem suam videtur. » (2^a 2^æ, q. 4, a. 8, ad 2).

Quinimo, docti ipsi fidem adhibent sapientium testimonio, cùm ii de arte *propriâ* faciunt sermonem. Ita medicus mathematici, mathematicus jurisperiti, jurisperitus philosophi, philosophus theologi vicem implorat, atque, ut S. Thomas dicit, « adjuvatur alter ab altero ad considerationem veritatis. » (*In lib. II Metaph.*, lect. 1).

106. At sæpenumero nonnisi *probabilitatem* confert sapientium testimonium, sive quia ipsi inter se dissentiant,

sive quia unus tantum *inventum* a se profert aliquid, ut potissimum contingit in scientiis naturalibus, quod nondum rationibus firmis, sed potius conjecturis colligitur.

Porrò in 1° casu, eorum eligenda est auctoritas, qui maximi sunt, etsi numero pauciores valetque axioma: *non numerandi, sed ponderandi*; imò fieri potest ut multis unicuique doctor præponatur, si fuerit omni exceptione major. — In 2° casu, neque aspernanda, neque statim probanda est sapientis auctoritas, sed aut experimentis, aut ratiocinatione explorandum est quod ab eo dicitur, vel expectandum donec aliorum doctorum testimonium accesserit.

107. Corollarium. Non una eademque est auctoritatis vis in singulis scientiis, sed minor in scientiis naturalibus ac mathematicis, major verò in scientiis moralibus.

§ IV. — De vi testimonii hominum historici.

108. Testimonium historicum facta refert vel *coæva*, vel *præterita*. Si prius, *orale* nuncupatur; si posterius, triplici formâ se prodere potest, nempe *traditione, monumentis et historiâ*; de quibus sigillatim dicendum venit.

109. Assertio 1^a: *Testimonium orale, debitis instructum conditionibus est criterium veritatis, sive de naturali, sive de supernaturali facto agatur.*

110. Conditiones requisitæ sumuntur ex parte *facti*, et ex parte *testium*. — 1° *Factum* debet esse simplex, vel cognitum facile, gravis momenti, publicum, cupiditatibus aut adversum, aut alienum.

2° *Testes* debent, *generatim* loquendo, esse plures, quia difficile est admodum ut omnino constet tum scientia, tum veracitas testis cujusdam solitarii. — Attamen unus testis potest *aliquando* conferre certitudinem, si constare queat eum neque deceptorem, neque deceptum esse; si nempe sit probitate et gravitate notus, ac referat factum serium quod ei nihil commodi affert et quod ipse præ oculis habuit.

Cùm verò plures sunt testes, oportet ut non inter se antea *convenerint*, et consentiant circa *substantiam* facti et

præcipuas ejus circumstantias; de minoribus autem circumstantiis admodum rara est variorum testium plena consensus (1).

His positis conditionibus, *certitudinem* præbet testimonium orale. Ad hoc enim duo sufficiunt: 1° testes non esse deceptos; 2° non esse deceptores. Porrò hæc duo constant.

1° *Non sunt decepti*. Si enim fuissent decepti, vel quia non satis ad factum attendissent, vel quia intendentes delusi fuissent. Atqui neutrum dici potest; nam 1 *debuerunt attendere*; siquidem factum est publicum et gravis momenti; 2 *attendentes autem debuerunt factum cognoscere*; siquidem est simplex et facile cognitum. In tantum igitur decepti fuissent, in quantum omnes essent repente hallucinati; porrò hallucinatio ista, quæ non in unum testem, sed in plures subito et gratis caderet, ridiculè fingitur; esset enim effectus sine causâ.

2° *Non sunt deceptores*; quia repugnat homines numero plures, ingenio, moribus, cupiditatibus, commodis *divisos*, de facto publico convenire in fraudem, quæ si alios juvaret, aliis noceret. Cæterum, si fraudem forte tentarent, brevi conjuratorum aliquis silentium frangeret revelaretque mendacium.

Dixi 1° debitis instructum conditionibus; quarum si una aut altera desideretur, *minuetur* quidem, sed non necessariò peribit vis testimonii; quare adesse poterit major vel minor probabilitas; v. g. *magnam* saltem probabilitatem confert

(1) Ad rem D. Thomas: « Discordia testium in aliquibus principalibus circumstantiis quæ variant substantiam facti, puta in tempore, vel in loco, vel in personis de quibus principaliter agitur, aufert efficaciam testium; puta si unus dicat hoc factum esse tali loco et tempore, alius alio tempore vel loco, non videntur de eodem facto loqui...; si verò sit discordia in aliquibus circumstantiis non pertinentibus ad substantiam facti, puta si tempus fuerit nubilosum vel serenum, vel si domus fuerit picta aut non, aut aliquid hujusmodi, talis discordia non præjudicat testimonio, quia homines non consueverunt circa talia multum sollicitari, unde facile a memoria elabuntur. Quinimo aliqua discordia in talibus facit testimonium credibilius, ut Chrysostomus dicit, quia si in omnibus concordarent, etiam in minimis, viderentur ex conducto eundem sermonem proferre. » (2^m 2^m, q. 70, a. 2, ad 2).

testimonium unius testis *oculati et gravis* de facto quodam passionibus alieno, licet parvi momenti sit, aut *privatum*, aut difficultate mediocri complicatum.

Dixi 2^o sive de naturali, sine de supernaturali facto agatur.

Nimirum in utroque casu *eædem* rationes militant; nam quodcumque factum agatur, æquè constare potest testes nec esse deceptos, nec deceptores. Nec difficilius est factum supernaturale seu miraculum sensibus percipere, quàm factum merè naturale; v. g., tam facilè dignosci potest aliquis ex mortuis, potentiâ Dei ad vivos revocatus, quàm poterat idem homo, priusquam moreretur.

Fatemur quidem sæpe dubio locum esse num aliquod phænomenon naturale sit an supernaturale; et etiam tunc illius *existentia* facilè percipitur, et aliud est facti alicujus existentia, aliud natura; aliquando tamen factum ita manifestam præ se fert derogationem ad leges naturales, ut clarè pateat ipsum non nisi miraculum esse posse.

111. Obj. — Unus testis falli et fallere potest; item singuli testes; ergo et omnes collectivè sumpti; collectio enim testium ex singulis testibus conflatur; ita Laplace et Lacroix.

R. neg. ant. et conseq. Probavimus enim supra (n. 109) unius hominis testimonium aliquando certum esse, quoties videlicet constat eum nec decipi, nec decipere.

Verùm, etiamsi daretur unius testimonium non largiri certitudinem, idem dici non posset de omnibus testibus simul acceptis. Nam etsi quandoque nobis certis esse non licet de scientiâ aut probitate alicujus testis solitarii, at verò omnino certum est plures testes commodis, ingenio, cupiditatibus diversos, non esse nec deceptos, nec deceptores, si factum referant grave, publicum, illustre, passionibus alienum.

112. Assertio 2^a : *Traditio certitudinem aliquando præbere potest.*

Traditio est series non interrupta testium qui factum quoddam referunt, et quorum alii ad originem facti ascendunt, alii in nostrâ vivunt ætate. In eâ igitur duplex genus testium dis-

tingui debet, eorum nempe qui ad originem facti ascendunt ipsique sunt coævi; et eorum qui prioribus deinde, variis temporibus, successerunt. De testibus coævis jam supra diximus, ubi de orali testimonio (n. 109); unde non agitur nisi de testibus posterioribus.

Porrò *probari* potest testes facti *posteriores* neque deceptos, neque deceptores esse. 1^o *Non sunt decepti*; nam in tantum decepti fuissent, in quantum perperam audiissent vel intellexissent narrationem testium facti coævorum. Sed hoc dictu absurdum est de multis testibus, circa factum simplex et gravis momenti.

2^o *Non sunt deceptores*, propter rationes supra recitatas.

Confirmatur ex modo quo aliæ aliis generationes succedunt. Etenim non repenti-mutantur, sed sensim ac sine sensu aliæ aliarum locum occupant; unde parentes cum filiis ac nepotibus conversantur. Porrò id vetat ne fraus obrepit in traditionem, de *quâcumque* generatione agatur; nam qui ex priore generatione adhuc superstites cum posterioris generationis hominibus vivunt, cognoscerent inductum fortè errorem, et contra illum reclamarent. — Supponimus ergo nullam unquam contra traditionem motam fuisse disceptionem, ex parte illorum qui poterant errorem detegere et quorum intererat contra eum reclamare.

Dixi *aliquando* : quia rarò traditio merè *humana* (1) plenam certitudinem præbet, sed generatim majorem minoremve probabilitatem. Sub quo respectu, multò minor est tùm certitudo, tùm etiam fecunditas traditionis quàm monumentorum et historiæ. Et ratio est quia satis difficile est *origines* traditionum exactè explorare, ad earum vim planè determinandam; difficile quoque est perlustrare absolutam earum continuitatem; ac demum difficile, imo vix possibile

(1) Econtra inconcussa est vis argumenti traditionis, prout in Theologia usurpatur, quia cum dogmate catholico arctè cohæret et roboratur vel Patrum concordanti testimonio, vel ipsa infallibilis Ecclesiæ fide aut praxi. Ex hoc porrò capite permultæ vel statuuntur, vel confirmantur theologice, imò revelatæ veritates. At planum est omnino distare traditiones humanas, etiam serias, de quibus est thesis, a sacris illis traditionibus, ad quas Theologia jure appellat.

est omnino puras, sine ullo additamento servari narrationes quæ per tot ora totque sæcula circumvolitant.

At verò *substantia* facti manere potest integra, si *majoris* momenti ipsum fuerit et ab omnibus idem quoad *substantiam* recipiatur, tametsi addantur ei variæ *circumstantiæ* quæ minorem fidem mereantur, et quæ vel pro dubiis haberi, vel etiam rejici valeant.

113. Attamen multò firmior foret vis traditionis, si vel aliquo *festo* publico factum quod refert semper celebratum fuisset, vel præsertim inveniretur *substantialiter* eadem apud gentes multas, ingenioque ac moribus diversas; quales sunt v. g. traditiones de *felici* et aureâ primorum hominum conditione, de quâdam culpâ ob quam homines ab eâ felicitate deinde exciderunt, de diluvio quo fuerunt puniti, de promisso quodam Salvatore, ac præsertim de necessitate sacrificiorum.

Cæterum notare præstat paucas esse traditiones quæ monumento, vel scripto quodam testimonio non confirmentur.

Assertio 3^a : *Monumenta certitudinem vel probabilitatem præbere possunt de quibusdam factis.*

114. *Explicatur assertio.* Monumenti nomine venit *opus quoddam hominis arte confectum ad aliquid celebrandum vel repræsentandum.*

115. Monumenta reduci possunt ad *quinque* genera. *Prima* spectant ad *architecturam*, scilicet ædificia profana, vel sacra, vel super terram erecta, vel subterranea; v. g. templa, baptisteria, altaria, cryptæ, catacumbæ, confessiones, martyria, cubicula, sepulchra.

Secunda pertinent ad *sculpturam*, ut sunt statuæ, sarco-phaga, ornamenta glyptica, vasa, diptyca, instrumenta, ebore, marmore, aliisque confecta materiis.

Tertia ad *picturam*; v. g. picturæ murales, in templis, catacumbis, sepulchris; picturæ musivæ, picturæ in vitris.

Quarta ad *glypticam*, ac referunt personas, facta, etc., in margaritis, petris, aliisque metallis insculpta, quo in genere continetur *numismatica*, quæ *monetas et medalia* comprehendit.

Quinta sunt *mobilia et utensilia*, tum sacra, ut vasa, ins-

trumenta martyrii, reliquiaria; tum *profana*, sive *domestica*, sive *civilia*; v. g. vestimenta, lampades, etc.

Nostris porrò diebus, ex monumentis *maximum* adiutorium percipere licuit; unde permulta facta perantiqua, hactenus vel ignorata, vel minus nota, revelata fuerunt. Sub eo respectu, primum locum tenent inscriptiones, ad quas pertinent *Epigraphia*, quæ est scientia inscriptionum. Eas enim *innumeras* esse constat ab antiquitate sive sacrâ, sive profanâ; ab iis autem intelligere licet ritus, leges, memorias, dogmata, etc.

116. *Probatur assertio.* — *Constat 1^a pars*, ac verax habendum est monumentum, si ex unâ parte, certa sit ejus *authenticitas*, si nempe indubium sit illud pertinere ad auctorem, aut saltem ad tempora quibus attribuitur; et si ex aliâ parte referat factum publicum, satis grave et alienum passionibus, modo tamen clara sit monumenti significatio. His enim positis conditionibus, monumentum jam exprimit ideas coætaneorum, aut saltem ab illis aliquo modo probatur, qui sanè reclamarent si quis homo inveniretur satis audax aut insanus ad erigendum monumentum in memoriam eventûs naturâ suâ publici et gravis.

Oportet tamen ut ipsum non nimis faveat adulationi alicujus gentis aut principis, maximè quod spectat ad inscriptiones; v. g. si credis arcui triumphali, in ejus honorem erecti, Titus primus Hierosolymam cepit; quam ceperat jam Pompæus, a Tullio dictus propterea *Hierosolymarius*.

At 2^a pars ex eo probatur quòd monumentum non rarò caret partim aliquâ ex tribus conditionibus requisitis; scilicet vel certa non est ejus *authenticitas*, vel obscura significatio, vel adulationis indicia apparent aut aliunde cognoscuntur.

117. Porrò monumenti *authenticitas* constare potest signis *extrinsecis et intrinsecis*; extrinsecis, si aliquo testimonio vel orali vel scripto comprobetur; intrinsecis, si præ se ferat characteres aliunde notos auctoris sui vel temporis. Quod spectat ad *significationem* monumenti intelligendam, v. g. si agatur de sensu inscriptionum, attendendum est